



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

8 An ignorantia inuincibilis præcepti excuset Censuram à iure.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

80 Disp. IV. De causa propter quam censura ferri potest.

Aut prae affectos non haberi validam, cum tamen iuridice lata esse debeat ex se, ac per se loquendo, fecum affert sufficientem scientiam publicam sui valoris, & efficacitatis.

40
Quot mo-
di possit
sententia
valida esse
iniusta.

Secundo colligitur ex dictis, quot modis esse possit sententia iniusta, quamvis nulla non sit: suppono enim id: quod certum, & clarum est, omnem sententiam censuram nullam, esse etiam iniustam: sed ab hac distingui solet sententia pure iniusta, id est, non nulla: & solent etiam distingui varij modi eius: ego tamen vix inuenio nisi vnum. Primus enim modus assignari solet de sententia lata à Iudice iniusta intentione ex odio, vel alia simili causa. Verum tamen, si ex illa intentione non oriatur alia iniuria, talis sententia non erit proprie iniusta, prout nunc loquimur: sed solum prout iniustitia generaliter dicitur de omni virtute: & iniusta dicitur omnis actio, quae moraliter bona non est: quod quidem ad rem praesentem parum refert, ut per se constet. Secundus modus est, quando sententia est lata non seruata accidentali ordine iuris: & hic est proprius, & ferre vnicius modus talis sententiae iniustae, quae sic vocabitur, quatenus iustitiae legali opponitur, non propter iniuriam contra commutativam, ut supra declaratum est. Et haec est ratio à priori, ob quam talis sententia neque ex natura rei iniusta est, neque etiam ex iure positio, quia in illo non petitur talis conditio, ut substantialis. Tertius modus huius sententiae addi potest, quando in re quidem continet inaequalitatem, & iniuriam: tamen secundum allegata, & probata iusta est: sed illa sententia, ut dixi, non est simpliciter valida, sed tantum secundum quid. Vnde videtur esse tanquam medium quoddam inter sententiam simpliciter validam, vel simpliciter nullam. Et merito, quia etiam est quodammodo media inter simpliciter iustam, & simpliciter iniustam, etiam respectu commutativae iustitiae: vtrumque enim participat secundum habitudinem ad diuersum forum. Et dicere possumus, esse iustam ex parte actionis, iniustam vero ex parte rei.

41
Quomodo
intelligen-
dum sit
Gregorii
axioma.
Sententia
Pastoris
sive iusta
sive iniusta
timenda
est.
Quomodo
locum ha-
beat in sen-
tentia iniusta,
&
valida.

D. Thom.

Vrbani P.

42
Quomodo
habent lo-

Tertio intelligitur ex dictis, quo sensu accipienda sit celebris illa sententia Gregorii Hemil. 26. in Euangel. quae refertur à Gratiano in quæst. 3. cap. 1. Sententia Pastoris, siue iusta, siue iniusta, timenda est: in qua fundantur, qui absolute, & sine distinctione affirmant, quamcumque censuram, quantumvis iniustam, validam esse. Hanc vero propositionem ita absolute prolatam, ut erroneam damnat Gerson in 1. tomo Opuscul. peculiari de hac re. Et merito, quia ex aliis multis iuribus, & ratione naturali est evidens, non omnem sententiam iniustam posse esse validam. Estque textus expressus in cap. Cum continetur, de Offic. Deleg. Vnde nullus Doctorum oppositum affirmavit, sed solum in de iure non omnem sententiam iniustam, inualem esse. Et hoc ad summum colligitur ex illa sententia Gregorii. Quocirca, primum omnium verum habet in sententia iniusta, quae valida est. Ita ut sensus sit, etiam si Superior inique ferat sententiam, vel ex prava intentione, vel ex temerario ordine procedendi, nihilominus eius sententiam, si vera sententia sit, timendam esse: & sic est clarissima veritas, quia talis sententia vere ligat. Iuxta quam interpretationem non oportebit dictum illud extendere ad sententiam sic iniustam, ut sit etiam nulla: quia illa non est sententia. Sicut diuus Thomas dixit, iudicium iniustum non esse iudicium. Et ideo de eadem sententia recte intelligitur, quod dixit Urbanus Papa in sua epistola decretali, cap. 5. Valde timenda est sententia Episcopi, licet iniuste liget aliquem. Recte enim exponitur de sententia, quae non obstante iniustitia, retinet veritatem sententiae, & consequenter vim ligandi.

Addo vero vterius, dictum illud etiam habere locum in sententia ita iniusta, ut in re sit nulla, quando certo non constat de eius nullitate: nam in du-

biis obediendum est Superiori, ut supra dicebamus de lege dubia. Quamvis nonnulla differentia intercedere videatur inter legem praecipientem, & sententiam punientem: nam lex, per se loquendo, dirigit ad bonum: unde fit, ut, quando non constat, id quod praecipit, esse malum, praesumatur bonum, eique obediatur: cum etiam in hoc nullum morale periculum, aut nocumentum subdito imminet. At vero sententia puniens, si executioni mandetur, infert malum: & ideo videtur subditus, quoad hoc habere maius ius, ut in dubio se indemnem tueatur. Sed nihilominus verum est, sententiam sic dubiam timendam esse, & seruandam, quia ius commune praefertur est privato: hoc autem ad commune bonum, & conueniens regimen Ecclesiae necessarium est.

Denique addo, etiam si sententia sit iniusta, & nulla, idque euidenter constet subdito, adhuc timendam esse, vel ut eam non contemnat in exteriori foro, si forte in illo sit valida: vel ut non cum aliorum scandalo, si forte alij ignorent illius defectum: vel certe, ut licet omnia publica sint & nota, non propterea ita sententiam, vel praecceptum Superioris despiciat, ut ipsum etiam Superiorem, & potestatem eius contemnere videatur: sed cum debito moderamine, ac reuerentia quadam iure suo vratur. Atque ita in omni sententia iniusta Pastoris verum habebit, quod sit timenda: non tamquam omnibus aequaliter, sed accommodate in singulis.

43
Qua ratione comprehendat sententiam euidenter nullam.

SECTIO VIII.

Vtrum ignorantia inuincibilis praeccepti impediat censuram per illud impositam.



ANC quaestionem supra remisimus in hunc locum, quoniam necessaria est ad complementum huius disputationis, & cognitionis causae, quae ad censuram sufficit: vel excusationis eius, quae frequenter interuenire potest. Vbi aduertendum est, aliud esse agere de ignorantia quae antecedit censuram: aliud vero de ignorantia, quae subsequitur, & excusare potest violationem ipsius censurae. De hac dicturi sumus infra disputatione septima, hic vero agendum est de priori: & simul obiter explicabimus an vis, metus, aut aliquid aliud huiusmodi possit similem excusationem asserere: in illis enim vere nulla est difficultas: & ideo necesse non est proprias de illis quaestiones instituire: nam ex similitudine rationis facile possunt cursum expediri.

Igitur distinguere in primis oportet inter censuram latam ipso facto, siue à iure, siue sub conditione de obseruando quocumque praeccepto (nam in his omnibus eadem est ratio, ut saepe in superioribus dixi, & in praesenti etiam ex dicendis erit euidentis) & inter censuram absolute latam per sententiam Iudicis: nam de hac est specialis ratio, ac propterea de illa in fine dicemus. Rursus aduertendum est, praecceptum, cui coniungitur censura aliquando esse pure humanum: ut v. g. si detur praecceptum ieiunandi sub excommunicatione: aliquando vero esse etiam diuinum seu naturale, ut cum percussio clerici, vel simonia, aut vfura sub censura prohibetur: inter quae hoc differt, quod in priori ignorantia inuincibilis Ecclesiastici praeccepti omnino excusat culpam, in posteriori vero minime, quia, licet ignoretur specialis prohibitio Ecclesiae, relinquatur culpa contra ius naturale vel diuinum.

Diuisiones ignorantiae.

Præterea prae mittenda sunt distinctiones de ignorantia. Vna est ex parte obiecti seu materiae, quomodo

Ignorantia alia sit: quomodo

Quomodo distingui solet ignorantia facti, & iuris. Facti appellatur, quomodo ex actione hominis aliquod factum sequitur, quod nec prauisum, nec cogitatum fuit: ut cum quis occidit hominem, putans se occidere feram. Ignorantia iuris appellatur, quando lex, vel prohibitio ad hominis notitiam non peruenit. Et hæc rursus subdividitur potest in præsentem: nam aliquando potest ignorari totum præceptum quoad prohibitionem, seu obligationem actus, & quoad censuram: aliquando vero cognito præcepto, potest ignorari, quod sub censura latum sit.

Alia distinctio est ex parte ipsius ignorantie: nam quædam est inculpabilis, quæ inuincibilis, & probabilis etiam dicitur, quæ omnino est inuoluntaria: & propterea nec ipsa potest esse culpa, nec causa culpe: quia moraliter vinci, seu expelli non potest. Alia vero est vincibilis, seu culpabilis, quæ voluntaria est: quia per hominem stat, quominus oppositam scientiam habet. Et hæc vltimus subdividitur: inquam alia est neglectata, & est illa, quæ directe est voluntaria: alia vero est voluntaria tantum indirecte, & generali vocabulo dici potest negligens. In ea vero etiam sunt gradus: duo vero sunt præcipui. Vnus est, quando est negligentia grauis, & quæ ad mortale peccatum sufficiat, & hæc generali nomine vocatur ignorantia vincibilis, quæ distinguitur in crassam, & supinam, magis propter metaphoram vocum, quam propter distinctionem in substantiam, ut infra videbimus: & non examinabimus, an in hoc ordine aliud membrum ignorantie vincibilis addendum sit. Alius vero gradus huius ignorantie est, quando aliquo modo negligens, & voluntaria existit: tamen ita levis, ut solum ad veniale culpam sufficiat, quæ quoad præsens attinet, quasi inculpabilis reputatur respectu grauiorum censurarum, quia non incurritur nisi per culpam mortalem, ut dictum est. Et generaliter talis ignorantia constituit actum non plene humanum, sed quasi indeliberatum, pro quo nulla censura, etiam minor ferri solet.

Distinguitur præterea Theologi ignorantiam in antecedentem, concomitantem, & consequentem. Antecedens appellatur illa, quæ inuincibilis, & ita est causa actus: quod si illa non adesset, actus non fieret: consequens vocatur omnis illa, quæ est voluntaria quouis modo: concomitans autem appellatur illa, quæ ita est coniuncta cum actu, quod non minus fieret actus, si illa non adesset, ut, quando aliquis caesus, & ignorans occidit inimicum, quem tamen melius occideret, si nouisset. Denique potest distingui ignorantia in habitualem & actualem illa est, quando quis omnino nihil audiuit de præcepto: hæc vero, quando quis iam nouit præceptum: & eius memoriam habitu retinet: tamen hic & nunc ad illud non aduertit: quæ proprie dicitur inconsideratio seu actualis obliuio, de qua dari possunt fere omnes superiores diuisiones: nam & potest esse inuoluntaria, & voluntaria, saltem indirecte, & potest esse antecedens, & concomitans, de quibus omnibus latius tractant Theologi prima, secunda, & quæst. 6. art. 8. & quæst. 76. Hic vero solum rationes nominum notauimus, quoniam ex eis plura dubia oriuntur, in quorum resolutione integra sectionis præsentis resolutione posita est.

Num ignorantia inculpabilis præcepti, quolata est censura, ab illa excuset.

Primum ergo dubium est, an ignorantia inculpabilis Ecclesiastici præcepti, cui est annexa censura, excuset, ne censura contrahatur. In quo certa est, & communis resolutio, affirmans talem ignorantiam excusare censuram. Ita docent omnes, qui de hac materia scribunt: quos infra referemus: hic enim necessarij non sunt in re clara, & in iure ex-

pressa, ut in cap. 2. de Constit. in 6. ubi declaratur, statuta Episcoporum non ligare ignorantes, quorum ignorantia cassa non est, nec supina: & in cap. 5. vero. 2. de Sent. excom. & in cap. Excellentissimus, ii. quæst. 3. Ratio item est manifesta: quia talis ignorantia excusat culpam: ergo & censuram. Antecedens est certissimum in Theologia: quia talis ignorantia tollit omnino voluntarium sine quo non est peccatum. Consequentia vero probatur: quia censura solum potest ferri propter culpam, ut supra ostensum est: & ideo hic optime quadrat, quod in cap. 2. de Constitutionibus dicitur: *Rem, quæ culpa caret, in damnum voluntari non conuenit.* Quod paulo inferius applicatur ad rem, quæ ob ignorantiam culpa caret. Et maxime illud locum habet in damno, quod est propriè pena, ut semper est censura: quod ideo addo, quia aliquod damnum, quod non est pena, aliquando sentitur absque culpa, ut irregularitas aliqua.

Hanc vero generalem assertionem aliqui limitare volunt ad ignorantiam antecedentem: nam ignorantia concomitans (inquiunt) non potest excusare censuram, quia talis ignorantia non excludit voluntatem faciendi contra præceptum: nam qui illam habet, ita est dispositus, ut æque faceret actum, licet non ignoraret; ergo, si cum tali voluntate coniungatur etiam operatio contraria præcepto, non excusabitur censura. Ita Couar. 5. 10. num. 15. Illar. 10. ubi id tribuit D. Thomæ, sed immerito. Idem tenet Iacobus de Grassi lib. 4. suarum decis. ca. 9. num. 42. & sequitur Vgolin. tab. 1. de Cens. cap. 9. §. 8. num. 8.

Sed hæc limitatio immerito adhibetur, imo potius amplianda est assertio posita, ut verum habeat in omni ignorantia inuincibili, siue antecedens, siue concomitans dicatur. Hæc enim distinctio ad præsens impertinens est, & ideo iura absolute, & indistincte sunt locuta, & ita sunt intelligenda. Ratio est, quia, si ignorantia inuincibilis est, semper excusat à culpa actionem illam, quæ ex ignorantia fieri dicitur, etiam si alioqui talis ignorantia cōcomitans dicatur: ergo etiam excusat à censura. Consequentia patet ex dictis, & antecedens probatur, quia etiam illa actio inuoluntaria est, cum ex ignorantia inuoluntaria nascatur. Quo circa talis ignorantia (quod dicti auctores non aduertunt) formaliter considerata respectu talis actionis, & respectu voluntatis semper est antecedens: & ideo semper excusat illam actionem à culpa, etiam si alio respectu dicatur concomitans: quæ denominatio, vel respectus est impertinens ad contrahendam, vel excusandam censuram. Declaro singula, nam ignorantia illa, quatenus voluntaria non est, recte dicitur antecedens, quia hic & nunc est causa talis actionis, causa autem antecedens effectum. Quod autem eadem, vel similis actio futura esset, etiam si ignorantia non esset, non obstat quominus hic & nunc illa ignorantia sit causa illius actionis: quia conditionalis nihil continet esse. Vnde posita illa conditione, actio illa haberet aliam causam, scilicet voluntatem, nunc tamen eam non habet, sed aliam scilicet ignorantiam: idem enim effectus potest à diuersis causis procedere: & ideo optime potest nunc ab vna earum emanare, etiam si hac deficiente, futura esset alia, à qua fieret.

At vero concomitans appellatur illa ignorantia, quia supponitur voluntas ita disposita, quod esset voluntaria illius effectum, etiam si nulla esset ignorantia. Hæc autem dispositio voluntatis duplex cogitari potest, vna est habitualis tantum, vel in causa, seu radice, ut in exemplo supra posito de odio inimici, quod in animo & voluntate est radicatum: actum tamen non exercetur: idemque erit, si quis ex vehemēti concupiscentia, vel affectu accedat ad non suam,

suam, quam existimat esse suam, vel comedat carnes die prohibito, id ignorans. Et huiusmodi concomitantia nihil facit ad culpam: quia per habitua-lem dispositionem non peccamus formaliter, donec in actum prodeamus. In eo in hoc sensu illa condicionalis soli Deo nota est: & fortasse ipse nouit esse falsam: tamen licet cognoscat esse veram, non imputat ad culpam id, quod fieret, posita tali conditione: si de facto conditio non ponitur: ut habet certa doctrina, de qua alias. Alio modo potest illa dispositio voluntatis esse actualis, ut si quis in venatione post sufficientem diligentiam casu occidat clericum inimicum: actu tamen de illo cogitans, & habens in voluntate hunc actum, *Utinam possem configere Clericum*. Et tunc quidem ille actus voluntatis peccatum mortale est, tamen merè internum, & nihil influens in illam actionem exteriorem, & ideo neque illam reddit peccaminosam, neque confert aliquid ad censuram contrahendam: cum hæc non propter actum merè internum, sed per externum incurra-
20
B
C
D
E

z. Nisi quis fortasse fingat alium tertium concomitantiam modum, nimirum, ut quis simul cum ignorantia habeat actualem voluntatem actualiter influentem in actionem externam veluti sub conditione propositam, ut si quis in dicto exemplo haberet hunc actum, *Volo emittere sagittam, si forte interficiam inimicum*. Et hoc in primis est moraliter impossibile, si ignorantia erat inuincibilis, quia hæc requirit practicum, & prudens iudicium moraliter certum, nullum esse hic, & nunc periculum occidendi hominem: quo modo ergo cum hoc iudicio potest esse illa voluntas: quæ aperte supponit dubium, & moralem contingentiam talis effectus. Deinde, admissio per impossibile illo casu, concedo talem hominem occidentem inimicum, incidere in excommunicationem, non tamen ob ignorantiam, sed ob actionem procedentem ex tali voluntate, quæ ut sic non processit ex ignorantia, sed ex hac generali scientia, quod ea, quæ humano modo videntur certa, interdum deficiunt: & quæ videntur impossibilia, aliquando eueniunt. Atque ita illa censura non est ex his, quæ propter ignorantiam incur-
21

Naturalem inconsiderationem excusare à censura.

EX quo inferitur primò non solum de ignorantia proprie dicta, sed etiam de inconsideratione hoc verum habere: nam, si illa sit merè naturalis obliuio absque graui negligentia, excusat à culpa: ergo etiam à censura. Consequentia patet ex dictis, & antecedens probatur: quia reddit actionem inuoluntariam, tam directè, quam indirectè. Directè quidem, quia voluntas nihil potest actu directo velle, nisi quod intellectus actu cogitat: inconsideratio autem tollit actualem cogitationem obiecti, & ideo tollit directum voluntarium. Indirectè autem, quia ibi nullum potest esse voluntarium indirectum nisi

A ratione causæ, quæ est ipsamet inconsideratio: Sed ipsamet inconsideratio inuoluntaria est, ut supponitur, ergo non potest ratione illius actio esse indirectè voluntaria, sed in causa; Loquor autem de actione, vel secundum se, vel quatenus est mala, seu contraria præcepto: quia etiam est naturalis obliuio Ecclesiasticæ legis (quæ sæpe interuenire potest, cum non sit intrinseca actioni) excusat à transgressione talis legis: sicut etiam naturalis obliuio legis ferentis censuram excusat à culpa actionem alioqui prohibitam ex vi talis censure, ut rectè notauit Iacobus de Graff lib. 4. Decision. ca. 9. num. 29. Itaque, quod ad rem attinet, æquiparantur in hoc inconsideratio, & ignorantia, quamuis in ordine ad forum externum facilius possit ignorantia, quam inconsideratio probari.

Graff.

Tam ignorantiam inuincibilem iuris, quam facti excusare à censura.

TERtio addimus, positam regulam procedere tam in ignorantia facti, quam iuris, si utraque inuincibilis sit: quia utraque excusat à culpa: nam ignorantia facti reddit actum inuoluntarium: ignorantia vero iuris reddit inuoluntarium actum ut malum, seu ut prohibitum: atque ita tollit inobedientiam & contumaciam, quæ est fundamentum censure. Vnde ex iuribus supra adductis c. Si vero, loquitur de ignorantia facti: capitulum autem 2. de Constit. in 6. loquitur de ignorantia iuris. Et quidem de ignorantia facti nulli dubium est, quin possit esse inuincibilis. Quando autem huiusmodi existimanda sit, non potest aliâ generali regula definiri, nisi, quod iuxta negotij qualitatem, & occurrentes circumstantias adhibenda est sufficiens diligentia, seu prudens operandi modus: & si quid postea præter intentionem, & cognitionem succedit, censetur inuincibiliter ignoratum, & consequenter inculpabiliter factum. Vnde fit, ut hæc ignorantia tantum excuset, quantum de ipso effectu ignoratum est prædicto modo. Aliquando enim ignorari potest isto modo circumstantia actus, non vero substantia, ut si quis peccet cum consanguinea, ignorans esse consanguineam, non tamen ignorans esse alienam, seu non suam uxorem: & tunc si esset censura lata contra incestuosos, talis ignorantia excusaret illam: si vero esset lata contra fornicarios, non excusaret: quia in illo actu inuenitur malitia fornicationis. Aliquando vero potest ignorari utrumque, scilicet, actus, & circumstantia: & respectu vnius esse vincibilis, respectu vero alterius esse inuincibilis ignorantia: & tunc excusabit à censura, si lata sit propter circumstantiam inuincibiliter ignoratam, an vero excuset amplius, expendendum erit iuxta regulas infra tradendas de ignorantia vincibili. Ut, si quis iacturus sagittam sufficientem diligentiam adhibeat, ne ibi lateat Petrus, qui est sacerdos, non vero ne ibi lateat quisvis homo, etiam si casu Petrum interficiat, non incurrit in canonem, si quis suadente, quia excusatur à malitia sacrilegij, licet non excusaretur à malitia homicidij.

E Ex quo obiter intelligitur non habere hic locum distinctionem illam de dante operam rei licitæ, vel illicitæ: quæ in materia de irregularitate tractari solet. Quidquid enim sit, an ibi locum habeat, quod infra videbimus, hic certe nullum habet. Nam, si ignorantia inuincibilis sit respectu illius culpe, seu malitiæ, in quam fertur censura, licet alioqui actus sit peccaminosus, non incurritur: ergo dare operam rei illicitæ nihil in præsentia obest. Et hic est casus expressus in dicto c. Si vero. Et faciunt etiam tres ultimi textus 34. quæst. 2. notantque auctores supra citati, præsertim Victoria, & latius Couarr. nu. 16. Qui addit distinctionem illam posse habere locum in ignorantia

13

Distinctio de dante operam rei licitæ, vel illicitæ non habet locum in ignorantia facti.

ignorantia vincibili, de quo infra dicam. Addit etiam ibidem Couarruias, illatione 12. si quis ignorantia personæ occidat laicum, existimans, & desiderans occidere clericum, non propterea incurritur censuram, contra quosdam Canonistas qui oppositum opinati sunt. Sed res est clara ex supra dictis, quia interior affectus, sine effectu subsecuto non sufficit ad censuram: & ideo illa ignorantia non est ita efficax ad accusandum, sicut ad excusandum. Et hæc sufficiunt de ignorantia facti pro huius loci necessitate.

De ignorantia vero iuris, ad discernendum quādo inuincibilis sit, solet à multis hæc regula tradi: Quando præceptum, quod ignoratur, non spectat ad proprium alicuius officium, vel ministerium, tunc ignorantia illius est inuincibilis, & excusat à censura: quando vero pertinet ad proprium officium, non est inuincibilis, nec excusat: quia ignorantia eius, quod quis scire debet, inculpabilis non est: non enim potest non esse voluntaria saltem indirecte. Tunc enim omisio dicitur indirecte voluntaria, quando homo potest, & debet facere, & non facit: ergo simili modo est voluntaria omisio scientiæ, quæ est ignorantia: at in illo casu concurrunt illa duo: nam ille qui sic ignorat, tenebatur ex officio scire, vel supponimus: ergo etiam poterat: quia nemo tenetur nisi ad id quod potest: ergo talis ignorantia semper est voluntaria saltem indirecte. Vnde in cap. Si culpa, de Inuriis, absolute dicitur, Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti: & in iure ciuil. Institut. De lege Aquilia. §. Prætereā dicitur imperitiam in re ad proprium officium pertinentem non excusare. Vgolin. ca. 9. §. 8. num. 6. cum Angelo verb. Excommunicatio, 7. casu vltimo, nu. 3. & Iacobo de Graf. lib. 4. Decisio. c. 9. nu. 31. & Nau. in Sum. c. 23. n. 47. & præiud. i. nu. 17. ex præiud. 6. nu. 8.

Veruntamen hæc regula magna explicatione indiget, nam in ea generalitate sumpta est valde incerta, & videri potest quandam repugnantiam inuoluere. Nam cum loquitur de ignorantia iuris, necesse est respectiue, seu accommodate id intelligi, id est de ignorantia illius præcepti, quo aliquis obligatur, nam si cum non obligaret, impertinens esset illius scientia, vel ignorantia ad excusandum peccatum. Igitur iuris vel præcepti ex se obligantis aliquem, potest habere quis ignorantiam inuincibilem, alias nunquam ignorantia iuris excusabit à culpa. Quilibet autem homo scire tenetur illa præcepta, quibus obligatur, siue illa obligatio nascatur ex generali conditione hominis Christiani, aut religiosi, siue ex peculiari officio quod proficitur, vt medici, parochi, &c. siue ex quocumque alio capite: quia nullus potest suas obligationes implere, nisi ipsas agnoscat: vnde, in debito faciendi intrinsece includitur debitum sciendi: ergo præcepti, si quod quis scire teneatur, & absolute potest, aliquando habere potest ignorantiam inuincibilem: ergo non est in vniuersum verum, hanc ignorantiam esse indirecte voluntariam. Ergo neque etiam est hoc semper verum in ignorantia præcepti ad proprium officium pertinentis, tum quia parum refert, quod obligatio ex hoc, vel illo capite nascatur, si ad eandem diligentiam, & (quod caput est) ad eandem diligentiam obligat: tum etiam, quia sicut in aliis rebus, vel præceptis manere potest ignorantia aliqua post sufficientem diligentiam, ita in his, quæ ad proprium officium pertinent: nam etiam illa modo humano, vel fallibili, & imperfecto, cognoscuntur.

Certa ergo, & moralis regula in hoc negotio sumenda est diligentia adhibita, vel omis, ad cognoscendum præceptum, & ius ad vnumquenque pertinet. Nam, si iuxta præcepti, officii, & personæ qualitatem, quis adhibeat sufficientem diligentiam, vt sciat leges ad se, suumque officium pertinentes accidere potest, vt aliquam inuincibiliter ignoret,

& consequenter, vt excusetur à censura peream lata. Si autem negligens sit in sciendis suis obligationibus, ignorantia erit vincibilis, siue obligatio nascatur ex officio, siue aliunde, dummodo negligentia proportionalis sit. Et hæc regula sumitur ex dicto capitulo, Si culpa, ibi, Et, quem debueras, non curasti diligentiam adhibere: quamuis in illo textu potius sit sermo de ignorantia facti quam iuris. Et de eadem loquitur §. Prætereā, nam quod medicus ignoret (de hoc ibi sermo est) talem medicinam posse grauiter nocere, non est ignorantia iuris, sed facti: nam ius, quod ibi obligat, tam clarum naturale est, vt à nemo ignoretur, scilicet vt nemo artis medicinæ imperitus, temere tale munus exerceat, & sese manifesto periculo exponat. Vnde illa imperitia, quæ in iure dicitur non excusare, non est proprie ignorantia iuris, sed ignorantia artis, vel modi efficiendæ actionem, quam quis exercendam suscipit: nam est contra manifestum & naturale ius cum tali imperitia artem exercere. Aliquando vero illa imperitia erit ignorantia alicuius iuris, si talis actio, vel ministerium per illud ius regulanda sunt: vt patet in aduocato, iudice, & suo modo in parochio, Episcopo & similibus.

Hinc vero concludimus, quod sicut ignorantia facti potest esse inuincibilis, etiam in rebus ad proprium officium pertinentibus, quia peritia hominis curta est, & diligentia limitata, & ars fallax, ac prouidentia incerta: ita pari ratione potest ignorantia iuris esse inuincibilis, etiam si sit de aliquo præcepto ad proprium officium pertinente. Ac tandem, sicut in ignorantia facti regula sumenda est ex diligentia adhibita tali facto proportionata, ita in ignorantia iuris eadem regula cum proportionem vtendum est. Et confirmatur, quia ignorantia actualis per inconsiderationem aliquando est inuincibilis, etiam si sit iuris, & præcepti, quod ex obligatione officij scire considerare teneor, vt est certissimum apud omnes: nam ego ex officio teneor hodie recitare horas canonicas, aut facere, vel audire sacrum, & tamē contingere potest, vt ex naturali obliuione sine culpa omittam: ergo pari ratione idem cōtingere poterit in ignorantia propria & habituali. Et regula vtriusque erit diligentia sufficiens. De qua diligentia, vt dixi, vix aliquid potest generaliter dici, sed prudenti arbitrio relinquenda est, pensatis omnibus, quæ ad tale præceptum, vel ministerium pertinent.

Ad hoc autem iudicium ferendum duo sunt principia præ oculis habenda, Primum est considerare, an aliquando venerit in mentem tale præceptum, tum ad dictum, tum ad indicandum, an ad diligendum, vel dubitatio aliqua de huiusmodi obligatione, vel aliquid aliud simile, quo posset homo excitari ad inquirendam scientiam talis præcepti: nam si nihil eiusmodi aliquando menti occurrit, signum sufficiens est inuincibilis ignorantia. Hoc enim signum etiam intelligimus, obliuionem, seu inconsiderationem aliquam naturalem esse, & inculpabilem. Ratio autem naturalis est, quia nō potest homo se applicare ad aliquid considerandum, vel addiscendum, nisi præcedat cogitatio aliqua, qua possit voluntas moueri, quia homo non se applicat nisi per voluntatem: & voluntas non potest se mouere nisi præiua cogitatione. Propter quod, ante primam voluntatem procedere debet cogitatio, quæ propterea non poterit esse voluntaria, sed naturalis, seu ab extrinseco proueniens: ergo quando nulla talis cogitatio in mentem subit, qua possit voluntas excitari ad appetendam, vel querendam scientiam vel considerationem, non est in potestate hominis, se ad illam mouere, & consequenter non potest talis ignorantia homini imputari, sed est inuoluntaria, ac propterea inculpabilis, & inuincibilis. Atque ita quoad hanc partem facile soluitur ratio in contrarium, scilicet talem ignorantiam esse indirecte voluntariam, quia homo potest, & tenetur illam

27

28

Solutio

ratio cogitatio

travata

84 Disp. IV. De causa propter quam censura ferri potest.

illam vitare. Negamus enim posse potentia proxima, quæ requirit consensum omnium, quæ ad volendum prærequiruntur. Cum vero instatur, quia, si tenetur, potest, cum obligatio supponat potentiam. Respondetur, per se quidem teneri, seu obligari talem hominem ad talem scientiam: ad quod satis est, quod, per se loquendo, fit in homine potestas, & quod talem unum secum afferat talem obligationem: Nihilominus tamen hic & nunc illam obligationem dicimus suspendi, vel potius hominem ab illa excusari, propter impotentiam proximam ac moralem, quæ ex naturali, ac necessaria obligatione, vel inconsideratione orta est.

19
Secundum
documen-
tum.

Secundum documentum est, ut consideretur, an is, qui scire aliquid tenetur, habuitque sufficiens principium cogitandi, vel dubitandi de tali obligatione, fecerit moralem diligentiam, iuxta qualitatem operis, vel ministerij accommodatam, & probabilis iudicio sufficientem, ut talem cognitionem acquireret: nam, si hoc fecit ignorantia, quæ postea relinquitur inculpabilis est. Vt, v.g. si homo sit indoctus, consuluit doctos viros, vel peritos in tali arte, & carentes morali suspitione, quod ex malitia, aut etiam ex sua negligentia possint decipere: si vero sit homo doctus, aut per se sufficiens ad talem cognitionem obtinendam: an doctores aliquos euoluerit, aut leges ipsas, vel statuta mediocri diligentia, vel labore inquisierit: nam, si ita se gessit, si quæ manserit ignorantia, merito inculpabilis existimabitur. Quæ omnia sunt nobis certa in foro conscientie: in foro autem exteriori sæpe præsumitur ignorantia culpabilis, quæ non est: nam prior excusatio non admittitur in exteriori foro, quia tota posita est in interiori actu, vel in aduerfentia naturali, quæ propari non potest, nisi probando vel iuste fuisse absentem, quando lex promulgata est, vel iuste fuisse impeditum, aut non habuisse à quo interrogaret, vel quid simile. Et fortasse auctores citati, qui priorem regulam constituebant, magis in exteriori, quam in interiori foro locuti sunt: nam in illo foro vix unquam admittitur excusatio censure, propter ignorantiam iuris, in legibus pertinentibus ad proprium munus, vel officium: nisi fortasse aliquis occasionem satis probabilem ostendat, ob quam adhibitam diligentiam suo muneri convenientem, talem legem potuit inuoluntarie ignorare. De hac re plura videri possunt in Cordub. lib. 2. Quæstion. q. 2. & 4.

Cordub.

Qui Ecclesiasticum præceptum inuincibiliter ignorat, etiam si contra ius diuinum aut naturale agat, non incurrere censuram.

30 **Q**uarto principaliter addendum est in hoc dubio, ignorantiam inuincibilem Ecclesiastici præcepti ita excusare à censura, ut quauis actus sit contra ius diuinum & naturale, & homo contra illud peccet, nihilominus censuram non incurrat. Vt, verbigentia, si ignoret aliquis inuincibiliter prohibitum esse ab Ecclesia sub excommunicatione, ne quis clericum violenter lædat, non incurrit excommunicationem, etiam si contra ius naturale, & diuinum iniuriam intulerit clerico. Ratio est, quia ille non est contumax præcepto Ecclesiæ: cum enim illud inuincibiliter ignoret, non potest contra illud peccare: cessante autem contumacia respectu Ecclesiæ, cessat etiam censura: quia est veluti fundamentum, & in eo genere adæquata causa eius: iuxta illud, Si Ecclesiam non audierit, &c. ut supra late declaratum est. Propter quod etiam diximus, aliquam monitionem præuiam ab Ecclesia factam esse de substantia, seu essentia censure.

31

At vero in hoc casu, de quo agimus, nulla monitio Ecclesiæ in tali homine præcessit, quia solum per præceptum admoneri potuit: præceptum autem si-

ne culpa eius, ad ipsius aures non peruenit, ut supponimus: & ita non potuit illud admonere. Atque hæc sententia à nobis breuiter exposita latius tractatur à Couarruuia cap. Alma, parte prima §. decimo, num. octauo, & sequentibus. vbi ipse contrariam defendit sententiam, quamuis fateatur hanc esse communem Canonistarum, Abbatis, Felini, Antonini in ca. Anobis, primo de Sentent. excommunic. Ioannis Andr. & Dominici in cap. secundo de constitution. in sexto. Quam magis etiam probant Angel. verb. Syluest. Excommunic. septimo casu ultimo, Syluest. verbo, Ignorancia, §. octauo, & in verb. Excommunicatio, 2 numero sexto. Idem tenet Nauarrus in Sum. cap. 27. numero decimosexto, & nu. 274. & Iacob. de Graff. lib. 4. Decision. cap. 9. num. 13.

Couar.
Abb.
Felin.
Antonin.
Ioan. And.
Dominic.
Angel.
Syluest.
Nauar.
Graff.

Nec Couarruuia aliquod assertit fundamentum in contrarium, nisi ignorantia solius pœnæ non excusat à pœna cum à culpa non excuset. Quod ibi late ipse profectitur. Sed immerito confudit hæc quæstiones, nam, esto illud verum sit, quod statim examinabimus, nihilominus vera est assertio posita, quia hic non tantum interuenit ignorantia pœnæ, sed ignorantia totius Ecclesiastici præcepti, ut supponimus. Hæc autem ignorantia, licet non excuset culpam, ut contrariam iuri diuino, vel naturali, excusat tamen illam ut contrariam legi Ecclesiasticæ. Quando enim Ecclesiastica lex prohibet sub censura actionem aliqui intrinsece malam, non tantum pœnam, sed etiam nouam prohibitionem adiungit: & ita ex illo capite, seclusa ignorantia augetur illud delictum, & inobedientia, in qua consummatur causa censure: ideoque illa ignorantia non tantum occultat pœnam, sed etiam excusat culpam, quatenus ex illo capite nascitur, impedit etiam præmonitionem necessariam ante censuram, & ideo censuram, etiam excusat. Vnde in cap. secundo, de Constitutionibus in sexto generaliter, & sine limitatione dicitur, statuta Ordinarium non ligare ignorantes: constat autem huiusmodi statuta laxius ferri de rebus iure naturæ prohibitis, ut est furtum, de quo est sermo statim in eodem capite, & in cap. A nobis, de Sentent. excommunic. & similibus. Ex hoc vero textu aliqui putant esse in hoc distinguendum inter statuta ordinarium vel Summi Pontificis: immerito tamen, ut opinor: quod ostendam commodius in dubio sequenti.

22
Couarru-
uia ratio in
cōtrarium
soluitur.

33 **V**ltimo ex dictis in hoc dubio infero, non tantum ignorantiam, sed omnem etiam aliam causam vel rationem excusantem à culpa mortali transgressionem legis Ecclesiasticæ, cui est annexa censura grauis, excusare etiam à censura: ex illo principio, quod censura nunquam incurritur sine proportionata culpa. Itaque etiam vis, & metus, si talis, & tam grauis sit, ut rationabiliter excuset ab obseruatione legis humanæ, excusare poterit, etiam si illi legi censura annexa sit, ut in superioribus dixi. Idemque est in quacunque alia simili necessitate, quod etiam sumitur ex dict. cap. Excellentissimus. ii. quæst. tertia, ibi.

34 **Q**ui ex necessitate, vel ignorantia delinquit, auctoritate nostra per se absoluitur, id est, absoluti iudicentur, quia non incurrerunt, ut recte Glossa exponit.

SECTIO IX.

An ignorantia ipsius censure eam excuset.



MAior vero occurrit secunda & maior dubitatio, an ignorantia inuincibilis, non Ecclesiastici præcepti, sed solius excommunicationis excuset, ne incurratur censura. Vt, verbi gratia, præcepit Episcopus sub censura, ut omnes tali die Missam audiant, scitque aliquis subditorum, Prælatum imposuisse præceptum audiendi Missam, ignorat autem inuincibiliter, vel etiã errore inculpabili existimat, nullam censuram impositam esse transgressoribus talis præcepti: ideoque audet illius

1
Dubium
proponi-
tur.